

N A M V R C V M C O M I T A T V S .

inter, in monte vulgo *Polyache* dictum, parietinæ quædam & rudera veteris opidi *Chevremont*, hoc est, *Montis Caprarum*, quod destructum fuit per intestina bella cum Leodicensibus gesta, nec resurgere haec tenus potuit.

Bovine.

Quarto milliari à Namurco sunt *Bovine*, *Bovingne*, oppidum exiguum, quod bellorum iniuriis jam aliquoties vastatum, postremum vero ab Henrico secundo Galliæ rege, anno 1554 magna parte destrunctum est. Id ex eo tempore civium industria restitui & instaurari cœpit. *Carolomontium*, *Charlemont*, arcis fere effigiem præfert, propugnaculis suis bene munitæ. Distant *Mariæburg* tribus, Namurco septem milliaribus. Situm peropportune in monte ad lœvam Mosæ ripam, circa nobilem illum locum, quem vulgo vocant *Givet*. Nomen habet à Carolo V Imperatore, qui coercendis hoc tractu Gallis, *Mariæburgum* tunc tenentibus, exstrui jussit, anno 1555. *Valencourtium*, *Walcourt*, oppi-

*Charle-
mont.*

*Valen-
court-
tum.*

dulum tenuerunt, sed pulcherrimos undique agros adspectans. *Dava* pagus est ad Mosam flumen, qua *Bovinas* itur, arce validus, amplaque jurisdictionis, ita ut titulo gaudet Vicecomitatus. Sunt præterea in pagorum catalogo varia loca non amplitudine minus, quam amœnitate spectanda, qualis est *Floren*, *Viseia*, & *Samsonia*.

Mutavit ista ditio superioribus seculis sæpe numero suos dominos. Vnde ex variis bellis, modo hac modo illa de causa concitatis, obnoxia fuit. Tenebat Marchionatum Namurensem anno 1200 Philippus, frater Balduini Imperatoris Constantinopolitani. Factum autem variante fortuna, ut sub insecuris Principibus Marchionatus transierit in Comitatum, ac tandem hæreditario jure, vel, ut alii volunt, emitione venerit in potestatem Philippi Boni, Burgundiæ Principis, atque inde Austriacis cesserit.

